Gdowski Sigismundi: Quaestio de gratiae divinae auxiliantis efficacia.


QVÆSTIO
DE
GRATIÆ DIVINÆ
AVXILIANTIS EFFICACIA.

A

Frē. SIGISMVNDO GDOWSKI Carmelita, S. T. Bacalaureo, publicè in Alma Academia Cracouieñ. ad diſputandum propoſita pro loco, inter S. T. Bacalaureos eiuſdem florentiſsimæ Academiæ aſſequendo.

Præſide Admodum Rndo Domino,

MARTINO CAMPIO VADOVIO, S. T. Doctore ac Profeſſore Ordinario, S. Floriani Præpoſito. Theologicę facultatis in alma vniuerſitate Decano.



CRACOVIÆ,
Jn Officina Typogr: Matthię Andreouienſis,
Anno D. 1618.



FAſciolæ hic Circus, teres iſthæc tænia Præſul.
Te celebrem clamant Sarmatiæ in populis:
Sic præclara rotundatur virtus, quin olympus
Me caſtor paribus fertur in axe rotis
Inde tuæ Archetypum virtutis habes, regione
Non niſi ab æthereâ hæc nobilitata domus.
Vos olim Alma Fides primos aſpexit, an iſta,
Cuiu; quam alterius faſcia quam ſuperûm eſt.

Perillustri & Reuerendissimo Dño,

DOMINO IOANNI GOSTOMSKI,

Abbati Wąchoceñ. Mœcenati ac Patrono singulari:

Fr. SIGISMVNDVS GDOWSKI, *S.Th: Bacalaureus, Conuentus Carmel: Regens, perpetuã felic.*



Vm nihil cuiquam homini neq; expetibilius, neq; salutarius esse possit, quàm de Deo rebusq; Diuinis rectè sentire, vnde manat diuinus cultus & religio; tùm eâ curâ nullos magis teneri iudico, quàm eos qui se totos vitamq; suam Deo consecrarunt, quò liberiùs vacui curis, arcana Dei, quantum fas est peruestigarent, & thesauros siue potentiæ, siue sapientiæ, siue bonitatis eius sobriè & religiose perlustrarent. Quocirca ego quoq; diuino beneficio, in Ordinem non minùs sanctitate quàm doctrinâ florentem adscitus, non latebram ocij aut inertiæ quæsiui, sed nostri Ordinis clarorum virorum (quorum doctrina nobilissimas plerasq; externas Academias illustrat) laudem secutus, sedulò in alma Vniuersitate Cracouien. primùm, deinde etiam Romæ desudaui, vt è diuite penu sacræ doctrinæ, quan-

næ, quan-

næ, quantulascunq; opes in ornamentum Ecclesiæ Dei ac Ordinis nostri colligerem. Quarum nec vanus ostentator, nec ignauus suppressor esse volo, sed si quid acceptum ab alijs teneo, id in honorem Ordinis nostri libenter confero; non dubitans hoc meum qualecunq; studium, inclytam Academiam Cracouien. in qua primùm formari cæptum est, probaturam. Accedente præsertim patrocinio tuo Reuerendiss. Abbas, cuius nomen literatis viris carum & in honore esse optimè scio, non solùm propter nobilissimæ familiæ vestræ splendorem; sed etiam propter ingenij tui, naturæ, morum suauitatem; & animum in cultores literarum propensum ac beneficum. Sensi ego cùm Romæ fuisses, nihil tibi iucundius accidere potuisse, quā si homines beneficiis afficias, & quia mihi etiam radius beneficentiæ tuæ affulsit, hanc ego ingenij mei scintilulam in nominis tui illustris honorem volui apparere. Quam tu fauore excipiens, fouebis & vt magis ac magis splendescat, efficies Vale. Datum in Carmelo nostro Crac. Die 3. Sept. Anno D. 1618.

Admodùm Rñdo Patri,
SIGISMVNDO GDOWSKI,
SACRÆ THEOL: BACAL.

O Quàm auspicatò, nunc Academicam
Conscendis exedram, egregium decus
Carmelitana ex æde GDOWSKI
Atq; aliis imitatio alta.
Quamuis, profanis carminibus, nefas.
Cannâq; molli, Concilio Iouis
Rebusq; Sacratis, hiulcum
Aut aliquid Batauum sonare.
Ausim peracri iudicio tuo
Innixus, vnum hoc velle precando
Succedat hæc nostri Lycæi
Consociatio aui secunda,
Verum est quod aureâm solis in orbitam
Optat tueri, qui modò non habet
Visum in pupilla nocturna
Phæbo etenim hic oculus retortus.
At tu per altos, ætheris ignei
Tractus, ab aura, non nisi olympiâ
Tendens inaccessos Deorum
(Vt potis est homini penateis)
Peruadis, istamq; ingenij indolem
Mentemq; magnam nostræ Academiæ

Das, dedicas; sic ille quondam.
Cazimirâ genitus Joannes
Cum vota apud vos deposuit, bonum &
Pulchrum esse duxit, sese Academicis
Ut Doctor & doctus Professor
Inserere Ordinibus, locoq;
Dignari, Anhelas, tu quoq; honoribus
His insigniri, nusquam etenim nisi
Hoc in loco doctrina virtus
Vt statione sua locantur
Cedat, secundis ominibus tibi
Hic nixus, ornet, teq; Academia
Et tu vicissim ornantem adorna
Sic operæ mutuæ increbrescunt.

M. Iacobi Vitellij.

QVÆSTIO

De Gratiæ Divinæ Avxi-liantis efficatia.

VTrum Gratia actualis Diuini auxilij tanquam immediatum diuisum diuisa in sufficientem & efficacem, propter efficaciam supra sufficientem superaddat, & includat in sui intrinsecâ natûra, qualitatem & motionem, ex intrinsecâ naturâ, Phisicè prædeterminantẽ voluntatem nostram ad actus ipsius liberos, ita, vt ea posita voluntas nostra ei non possit non consentire.

Conclusio I.

CErtum omninò est Gratiam auxiliantem in sufficientem & efficacem rectè & necessariò diuidendam esse, vt in membra diuidentia: & præter sufficientem, efficacem omninò ponendam, ad eliciendos de facto actus ordinis supernaturalis voluntatis nostræ.

Corol-

Corollaria.

1. *Gratia sufficiens ad exercenda opera supernaturalia necessaria est: conferturq; à Deo omnibus, ad hoc vt possint si velint bene ac supernaturaliter operari, nũquam tamen habet coniunctum sibi effectum ad quem conceditur nobis à Deo: quod non est ex sui insufficientia sed ex libertate voluntatis renitentis.*
2. *Efficax verò gratia non solum conceditur à Deo ad hoc vt det posse operari, sed etiam vt det actualem operationem, ac proinde facit vt faciamus, semperq; habet annexum sibi nostrum consensum.*
3. *Hæc gratia efficax, prout à sufficiente condistinguitur, non est ipsa libera hominis operatio, sed est principium operandi, quo homo impellitur & applicatur de facto ad consentiendum.*
4. *Licet autem non possit præscindere à libero consensu, non propterea solum importat gratiam sufficientem, vt habet adiunctum nostrum consensum: sed importat speciale principium nostri consensus liberi, quod non solum sit eius effectiuum, vt gratia sufficiens, sed re ipsa illum effecturum.*
5. *Non tamen dicendum est duplicem hanc gratiam differre in hoc, quod sufficiens datur ad posse operari, efficax vero vt operemur, solum enim differentia est quod in habente efficacem Deus certo, præscit actum futurũ, & absoluta ac efficaci voluntate ad hoc illam*

præstat:

præſtat : in habente vero ſufficientem non futurum, quod non eſt ex auxilij inſufficientia, ſed ex defectu noſtræ libertatis.

Concluſio II.

GRatia efficax iuxta doctrinam D. Auguſtini, ſolum conſiſtit in motionibus gratiæ excitantis ſiue præuenietis quibus Deus facit, vt voluntas conſentiat, hoc eſt in vocatione & excitatione mentis, & impulſu voluntatis.

Corollaria.

1. *Etſi Gratia efficax cōſiſtat in ſola vocatione, ſeu Gratia excitante & præueniente, & non includat intrinſecè comitantem & adiuuantem, vt ſic, non tamen debet negari quin illam connotet, quatenus ipſa gratia efficax facit, vt faciamus non ſoli ſed adiuti.*
2. *Ideò impropriè & falſò quidam dicunt, homines vtendo auxilio ſufficienti, poſſe impetrare efficax, impoſſibile enim eſt aliquem vti ſufficienti, niſi præmotus iam ſit auxilio efficaci, nam vſus gratiæ ſufficientis conſiſtit in actionibus voluntatis.*
3. *Cum nulla actio ſupernaturalis voluntatis poſſit eſſe in nobis, quin ſit ex auxilio præuenienti, quo Deus faciat vt velimus, quod eſt ipſum auxilium efficax, nullus poteſt eſſe in nobis gratiæ ſufficientis vſus, qui iam non pendeat à gratia efficaci, atque adeò eo non impetrabitur auxilium efficax.*

4. *Impropriè etiam aliqui dicunt, auxilium efficax tribui ad ipsum gratiæ præuenientis, cum ipsum auxiliũ efficax sit ipsa gratia præueniens.*

5. *Auxilium efficax eius qui operatur non distinguitur re à sufficiente existente in eodẽ, nam ipsummet auxilium quod est afficax ad faciendum vt voluntas faciat, est etiam sufficiens ad eundem effectum, non enim posset illum de facto causare, nisi ad illum causandum esset sufficiens.*

Conclusio III.

ETiamsi gratia efficax præmoueat & impellat voluntatem nostram ad consensum, non tamen est motio phisicè voluntatem nostram prædeterminans, ita vt ea posita voluntas nostra ei non posit non consentire.

Corollaria.

1. *Homo qui mouetur ad consentiẽdum per gratiam efficacem potest illi resistere & non consentire non tantum in sensu diuiso, sed etiam in composito si consideretur in ratione qualitatis & motionis: Neq; vt sic est talis naturæ cui voluntas creata non possit dissentire, adhuc ipsa manente in voluntate.*

2. *Si tamen consideretur in ratione efficacis siue vt efficax est, qui per eam mouetur non potest illi dissentire seu resistere, in sensu composito, ex talis motionis efficacitate, siue manente ea in ratione gratiæ efficacis.*

3. *Effi-*

3. *Efficacia à qua motio Dei antecedens & causans nostrum consensum, dicitur efficax; non est gradus illius essentialis, neq; passio ab ea inseparabilis, sed potius ratio quædam accidentalis, sine qua talis motio esse potest.*

4. *Gratia efficax si sumatur pro realitate Diuinæ motionis prædeterminantis, cum imponat voluntati necessitatem omnino antecedentem, & nullo modo pendentem ab eius libero consensu, ac proinde contrariam libertati illius, non potest stare cum voluntatis libertate & indifferentiâ.*

5. *Si vero sumatur prout efficax est, imponit voluntati necessitatem consequentem, & aliquo modo pendentem ab eius libero consensu, proindeque potest stare cum eius libertate, non ideo tamen putandum est voluntatem influere in ipsam gratiam, influit enim potius cum gratia in consensum liberum quem gratia efficax respicit.*

Conclusio IIII.

GRatia efficax nihil aliud superaddit supra sufficientem, quam talem gratiæ cum voluntate cõgruitatem & contemperationem, ex qua consensus non solum esse posit, sed etiam re ipsa futurus sit.

Corollaria.

1. *Hæc gratiæ efficacis congruitas, in proportione eius ad arbitrium ita consistit, vt & vim quam ipsa habet,*

quasi

quaſi in actu primo attemperatam aliquo modo admouendum arbitrium, & ſimul reſpectum ad arbitrij conſenſum, de facto ex ea & arbitrio futurum, ſimul complectatur.

2. *Hæc contemperatio gratiæ efficacis cum voluntate talis eſt, vt ea poſita ſequatur de facto conſenſus: non tamen eſt vis aliqua prædeterminandi phyſicè aut moraliter voluntatem, poteſt enim ſimpliciter reijci, ac proinde liberè acceptatur.*

3. *Neque eſt realis aliqua Entitas, quæ non reperiatur in gratia non efficaci, ſi quidem quæ in vno tempore & ſecundum vnam ſubiecti diſpoſitionem eſt efficax, eademmet alio tempore & ſecundùm aliam diſpoſitionem erit inefficax.*

4. *Sed conſiſtit & in vi morali motionis, ſuadendi, & alliciendi, voluntati proportionata, & ſimul in reſpectu ad conſenſum de facto futurum ex ea ſi detur.*

5. *Totalis vero & potiſſima cauſa huius efficaciæ in actu primo eſt Deus ipſe, qui non ſolùm gratis vocationem confert, ſed etiam talem, quam præuidet effectu non carituram, idq; efficaci intentione & peculiari affectu, vt conſenſus ſupernaturalis cum ea eliciatur.*

Diſputabuntur in Lectorio DD. Theolog. Die
Menſis Hora Anno 1618.